



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et  
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ  
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransensis Thesaurarij  
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

**Barbosa, Agostinho**

**Venetiis, 1643**

12. De ætate, & qualitate suscipiendorum, in Ecclesijs cathedralibus, & professione fidei, officio, ac de residentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14108**

latè Aloyf. Rîcc. in praxi part. 4. refol. 493. cum seqq. Steph. VVeyms d. confit. 21. n. 16. vbi dicit Capellanos Regios tunc demum vti posse exemptione ab ordinaria iurisdictione, si actu fuerint seruientes in capellis Regijs, non etiam si extra illas degant. Erasmi. à Cochier d. p. 1. q. 3. 2. n. 9. vbi subdit quòd isti Capellani ratione beneficiorum, quæ alibi obtinent, subsunt Episcopo, & citat Mandos. de signatura gratta. tit. Exemptiones, in fine Zerol. in d. praxi Episcop. part. 1. verb. Exemptio §. 2.

De exemptione per summos Pontific. concessa Capellanis Regiæ Capellæ Vlixbonen. latè agit Cabed. de patronatibus Regia Corona. cap. 43. per tot.

Exceptis tamen ijs, &c.] Vide Fr. Emman. dicto tom. 2. quæst. 62. art. 14. & quæst. 67. art. 4.

10. *Aut Militijs actu seruiunt.* [Notat Stephan. VVeyms d. confit. 21. num. 9. pag. 255. Ordinum Militarum priuilegijs & exemptionibus gaudere nõ posse nisi actu Militiæ, & in domibus illius, & sub eius obedientia inferuientes, & quòd probauerint se in ea legitimam emisisse professionem, alioquin Ordinarij Diocæsani fundaram habebunt intentionem contra eos, & eorum clericos procedendi iuxta decreta Concilij Trident. sess. 6. c. 3. & sess. 14. c. 4. & hoc decreto, additque ex Zerol. in praxi Episcop. part. 1. verb. exemptio q. 3. quòd inferuientes Religioni S. Ioannis Hierosolymitani, vel alteri ex Militaribus eius exemptionibus non gaudent, nisi habuerint qualitates, & circumstantias sequentes. Primam, vt re ipsa, atque actu reali seruiant Ecclesiæ Ordinis Militaris exempti. Secundam, vt resideant in domibus sui Ordinis, & intra

septa illarum. Tertiã, vt sub obedientia Ordinis vuant. Quartam, vt professionem fecisse debeant secundum regulã ipsarum Militarum. Quintam, quòd de premissis teneantur fidem facere, apud Ordinariũ diocæsani. Fratres S. Ioannis Hierosolymitani non posse dare dimissorias clericis inferuientibus in eorum Ecclesijs, ad eum finè vt possint ordinari, refert decisũ Sel. d. c. 71. n. 15.

Curam animarum exercentes, etiam in Parochialibus Hierosolymitanæ Religionis, teneri accedere ad Congregationes, quæ iussu Episcopi ad casus conscientiæ differendos habentur, resoluit Sel. cap. 71. num. 17. attestans ita fuisse decisum sub die 4. Martij 1598.

¶ Etiam Religionis S. Ioannis Hierosolymitani, &c.] Vide Fr. Emman. quæst. regular. tom. 1. quæst. 65. art. 17.

12. *Eques Hierosolymitanus suum Parochum publicè alapa percussit, & citatus ab Ordinario, sua priuilegia opposuit, in quo casu refert decretum Sel. d. cap. 71. nu. 20. non posse Ordinarium exercere vllam iurisdictionem, neque excommunicando, neque declarando excommunicatum, quia ex priuilegio exemptus est, vt in hoc decreto; tamen ex quo ipse ob talem percussorem incidit in excommunicationem can. si quis suadente diabolo, posse Episcopum præcipere omnibus Parochis, & Canonicis, & alijs Sacerdotibus, ne eum admittant intra Ecclesias ipsi Episcopo subiectas.*

¶ Ea in his, qui beneficijs, &c.] Respectu beneficiorum Ordinarij iurisdictioni subsunt exempti, minime inhibitione aliqua obstante, Seraph. decis. 595. Modern. de supplicat. ad Sanctiss. part. 2. cap. 15. num. 14.

De atate, & qualitate suscipiendorum in Ecclesijs Cathedralibus, & professione fidei, Officio, ac de residentia.

C A P V T XII.

- 1 *Ætas 25. annorum inceptorum requiritur in eo, qui ad dignitatem, cui animarum cura subest, promoueri desiderat.*
- 2 *Ætas incipit à die natiuitatis. ibid.*
- 3 *Cura iurisdictionalis in dignitate facit vt ad illam requirantur 25. anni incepti.*
- 4 *Dignitas principalis in Collegiata requirit ætatem 25. annorum inceptorum.*
- 5 *Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, in omnibus Ecclesijs vbi fieri potest, eligendi qui sint Magistri, &c.*
- 6 *Archidiaconi qui verè animarum cura, & omni prorsus iurisdictione carent, non tenentur esse Doctores.*
- 7 *Archidiaconi apud Hispanos nullam habent iurisdictionem.*
- 8 *Scholastica conferenda est Doctori, vel Magistro, aut Licentiato in Theologia, seu iure Canonico, alijs prouiso est nulla.*
- 9 *Decanus nullo Trid. decreto iubetur, vt necessariò sit Magister, siue Doctor, aut Licentiatus.*
- 10 *Dignitas principalis in Ecclesia collegiata exempta non debet necessariò conferri Licentiato.*
- 11 *Dignitates in Cathedralibus, quibus nulla est animarum cura, possunt habere minores 25. annis, dummodo non minores 22.*
- 12 *Canonici Regulares non comprehenduntur sub hoc decreto.*
- 13 *Coadiutor, & coadiutor possunt abesse tribus mensibus.*
- 14 *Anni viginti duo ad dignitates requisiti debent esse completi.*
- 15 *Dignitates in Collegiata prouidentur habentibus Barbof. Collect. in Concil. Trid.*

- 16 *atatem requisitam de iure communi.*
- 17 *Personatus habet quasdam prerogatiuas in Ecclesia post existentes in dignitate.*
- 18 *Doctores de professione fidei emittenda agentes.*
- 19 *Forma professionis fidei.*
- 20 *Professionem fidei emittere tenentur promouendi ad Episcopatus.*
- 21 *Pralati Regulares intra duos menses ab adepta possessione suæ præfecturæ ad emittendam fidei professionem tenentur.*
- 22 *Professionem fidei emittere non tenentur prouisus de parochiali, quæ olim habuit parochianos, sed nunc habere desit.*
- 23 *Professionem fidei emittere non tenentur qui non prouidentur de titulo parochiali, sed deputantur in parochijs ad exercendam curam animarum.*
- 24 *Terminus duorum mensum datus ad faciendam fidei professionem non currit prouisa, qui non accepit possessionem, quamuis per eum stet quominus illam adipiscatur.*
- 25 *Possessio pacifica requiritur vt quis teneatur intra duos menses post eam fidei professionem emittere.*
- 26 *Professionem fidei emittere tenentur tam facere debens etiam post duos menses ab adepta pacifica possessione.*
- 27 *Professionem fidei facere coram vicario sufficit etiam Episcopo non impedito.*
- 28 *Professione fidei se fecisse probare tenentur prouisus quando Ordinarius super illam inquirat ex officio.*
- 29 *Professionem fidei emittere tenentur prouisi siue per obitum, siue per resignationem, non tamen prouisus de coadiutoria illa durante.*
- 30 *Professionem facere tenentur prouisi de Dignitati.*

- bus & Canonicatibus in Ecclesiis cathedralibus tam secularibus, quam Regularibus.
- 29 Et tam subiectis, quam exemptis.
- 30 Professionem fidei facere non tenentur prouisi de Dignitatibus & Canonicatibus in Ecclesiis collegiatis.
- 31 Professio fidei potest fieri per procuratorem habentem speciale mandatum.
- 32 Professionem fidei non emittentes licet non faciant fructus suos, bene tamen lucrantur distributiones quotidianas.
- 33 Nisi emolumenta omnia consisterent in distributionibus.
- 34 Fructus decursos post lapsum duorum mensium à die adeptæ pacificæ possessionis non faciunt suos qui non emittunt fidei professionem, bene tamen decursos in ipsis duobus mensibus.
- 35 Fructus amissos ob non factam fidei professionem restituere non tenetur huiusmodi prouisus donec condemnetur.
- 36 Prouisus ante factam fidei professionem non potest haberi pro presente à Capitulo.
- 37 Fructus amissi ob non factam fidei professionem cui sint assignandi & applicandi.
- 38 Ordinarius non potest condonare fructus amissos ob non factam fidei professionem.
- 39 Possessionis effectum tantum impedit quoad fructuum perceptionem.
- 40 Professionem non emittentes non possunt quoad fructus retinendos se tueri reg. de annali.
- 41 Dignitas, aut Canonicus nullus debet fieri, nisi qui requisito Ordine sacro sit initiatus, quem illa dignitas, aut Canonicatus exigit, aut in tali ætate ut infra tempus statutum initiari valeat.
- 42 Promotus ad dignitatem, præbendam, aut portionem debet in ætate constitutus esse ut infra annum possit ad Ordinem requisitum promoueri.
- 43 Dignitatem, aut Canonicatum habentem Ordinem sacrum accipientes sine intentione illum assumendi an peccent mort.
- 44 Ordinum annexio, & susceptio non habet locum in collegiatis.
- 45 Ordo non est regulariter annexus Canonicatibus cathedralium, sed potest annexio statuto, institutione, vel consuetudine fieri.
- 46 Canonicatus presbyteralis non dicitur etiam quod habeat annexum onus Missarum.
- 47 Canonicus, qui est Sacerdos, non ob id impeditur quin possit præbendam subdiaconalem retinere.
- 48 Canonicatum obtinens in cathedrali etiam ante factam ordinum distributionem debet esse constitutus in ea ætate ut intra annum ad Subdiaconatum possit promoueri.
- 49 Canonicatus habens accessorie, & in perpetuum unitam parochialem, non assumit naturam parochialis.
- 50 Ætas 14. annorum sufficit ad Canonicatus collegiarum Ecclesiarum.
- 51 Canonicatum & portionem dimidia pars Presbyteri esse debent, ceteri Diaconi ac Subdiaconi.
- 52 Episcopus non potest cogere ut omnes Canonici efficiantur Sacerdotes.
- 53 Dignitates omnes, & Canonicatum dimidia pars in cathedralibus Ecclesiis & collegiatis insignibus conferri debent Magistris, vel Doctoribus, &c. ubi id commode fieri potest.
- 54 Collegiata insignes quæ dicantur.
- 55 Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones in Cathedralibus, aut Collegiatis obtinentibus non licet vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse.
- 56 Statuti ex certa scientia, auctoritate Apost. confirmati vigore potest Canonicus ab Ecclesia quolibet anno ultra tres menses abesse.
- 57 Statutum ut una hora, vel duabus interessentes lucrentur massam grossam siue præbendam amissis distributionibus non valet.
- 58 Statutum quod interessentes una hora in uno mense ex nouem fructibus lucrentur amissis distributionibus nullum est, & tollendum.
- 59 Statutum quo seruitium 40. annorum Ecclesia præstitum liberet beneficiarium à residentia, validum est.
- 60 Consuetudo etiam inmemorabilis, minime excusat à residentia.
- 61 Consuetudo introduci non potest ut Canonici qui una hebdomada intersunt diuinis officiis, possint lucrari distributiones sequentis etiam hebdomadæ.
- 62 Consuetudo valet ut quis in absentia quotidianas lucretur distributiones, si sciente, ac patiente, & tolerante Papa inducta fuerit.
- 63 Menses tres, quibus possunt Canonici quolibet anno à suis Ecclesiis abesse, debent continere 90. dies, & possunt accipi non solum continuis, sed etiam interpolati.
- 64 Menses tres possunt Canonici quolibet anno abesse si constitutiones Ecclesiæ seruitium totius anni requirunt.
- 65 Canonicus tribus mensibus abesse volens minime tenetur petere, vel obtinere licentiam Episcopi.
- 66 Dignitates, & Canonici tenentur ad residentiam nouem mensium.
- 67 Statutum, quo permixtum est Canonicis quatuor menses quolibet anno ab Ecclesia abesse si à Papa est confirmatum, non censetur derogatum.
- 68 Indultum Papæ tribuens vacationem duorum mensium Canonicis contra fundationem Ecclesiæ non intelligitur sublatum per hoc decretum.
- 69 Absentes à seruitio Ecclesiæ quibus poenis puniantur.
- 70 Penarum gradus in hoc decreto præscripti necessario seruandi sunt antequam deueniatur ad priuationem ob non residentiam.
- 71 Priuatio ob non residentiam facta non obseruatis penarum gradibus in hoc decreto præscriptis est nulla.
- 72 Canonicos ad discendum cantum Gregorianum cogere potest Episcopus.
- 73 Distributiones quotidiana quare sic dicantur.
- 74 Distributiones amittunt qui omnibus horis non interfuerint.
- 75 Canonicus absens ex priuilegio Papæ percipit distributiones.
- 76 Inquisitores contra hereticam prauitatem.
- 77 Collector generalis Camera Apostol. Subcollectores, Aduocati & procuratores fiscales.
- 78 Archidiaconus, vel Canonicus visitans Ecclesiam,  
iura.

- intra, vel redditus sue præbendæ.
- 79 Penitentarius si dum recitantur diuina officia audiatur in Ecclesia confessiones.
- 80 Theologus, seu obtinens præbendam theologalem diebus, quibus legit.
- 81 Concilio generali nomine Capituli interessentes.
- 82 Concilio Prouinciali, vel Synodali interessentes.
- 83 Animarum curæ incumbentes imminenti suæ dignitatis, vel Canonici.
- 84 Canonicus missus à suo Episcopo ad visitanda limina Apostolorum eius nomine, vel comitans ipsum Episcopum.
- 85 Obfess datus ab Ecclesia, ac etiam repressaliarum causa captus.
- 86 Absens pro euidenti Ecclesiæ utilitate.
- 87 Absens à seruitio Ecclesiæ pro defensione iurium ipsius Ecclesiæ.
- 88 Infirmus, qui personaliter diuinis officijs interesse non potest.
- 89 Infirmus quoad hanc effectum dicitur ille, qui ad Ecclesiam se conferre non potest.
- 90 Cæcus effectus.
- 91 Podagra laborans.
- 92 Medicinam sumens.
- 93 Balnea petens, sanitatis causa.
- 94 Lepra vel alio morbo contagioso coactus à ciuitate discedere.
- 95 Infirmi distributiones quotidianas lucrantur, quamuis propria culpa in infirmitatem incidierint.
- 96 Infirmi distributiones lucrantur si illi dum erant sani consueuerant interesse diuinis officijs.
- 97 Pestis ex causa à sua Ecclesia absens.
- 98 Seno ita confectus vt residere, & interesse diuinis non possit.
- 99 Absens à choro, ac etiam à ciuitate ob metum ne occideretur ab inimicis, à Principe, &c.
- 100 Timens redire ad patriam, vel in ea commorari, ob bellum ciuile, aut externum.
- 101 Detentus per vim ab aliquo vt propterea non possit in Ecclesia diuinis interesse officijs.
- 102 Carceratus iniuste lucratur distributiones.
- 103 Exulatus iniuste non amittit distributiones quotidianas.
- 104 Excommunicatus iniuste pariter non amittit distributiones quotidianas.
- 105 Suspensus iniuste ab officio, vel beneficio.
- 106 Canonicus non est priuandus distributionibus quotidianis Ecclesia interdicta, aut polluta existente.
- 107 Priuato iniuste debentur fructus, & distributiones quotidianæ.
- 108 Distributiones amissas ob non residentiam non potest Episcopus aut Capitulum remittere, aut donare.
- 109 Canonorum consensus non potest facere, vt qui non interfuit diuinis, habeat distributiones quotidianas.
- 110 Distributiones præteritas non potest remittere Episcopus, aut Capitulum, quamuis absit omnis fraus, & conuentio.
- 111 Canonici diuina per se, & non per substitutos adimplere debent.
- 112 Munera suæ dignitati, Canonici, aut Portionis incumbentiæ per se ipsum subire, & exercere debent.
- 113 Dignitas, & Canonicatus si sint adinueniunt, & eque principaliter vnita, illa obtinens vtriusque onera subire per seipsum tenetur.
- 114 Dignitatem obtinens, cui vnita est Portio perpetua, & accessorie, illam obtinens non tenebitur seruire tanquam Portionarius.
- 115 Canonici cogendi sunt ad personaliter canendum Missam illis diebus, quibus ex instituto, & legitima consuetudine illius Ecclesiæ debent.
- 116 Canonici assistere tenentur Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti in ciuitate tantum, licet extra cathedralem Ecclesiam.
- 117 Episcopo Missam priuatè celebranti in Cathedrali non tenentur Canonici assistere.
- 118 Canonici tenentur psallere seu canere in choro cum alijs sub onere, & obligatione restitutionis distributionum.

**C**um dignitates, in Ecclesijs præsertim cathedralibus, ad conseruandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, vt qui eas obtinerent pietate præcellerent, alijsque exemplo essent, atque Episcopus opera, & officio inuarent: merito, qui ad eas vocantur, tales esse debent qui suo muneri respondere possint. <sup>a</sup> Nemo igitur demceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem xxv. suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate, commendetur, iuxta Constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, <sup>b</sup> Cum in cunctis, & Archidiaconi etiam qui oculi dicuntur Episcopo, sint in omnibus Ecclesijs, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in iure Canonico. <sup>c</sup> Ad ceteras autem dignitates, & <sup>d</sup> vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & <sup>e</sup> viginti duobus annis non minores, asciscantur. <sup>f</sup> Prouisi etiam de beneficijs quibuscumque <sup>g</sup> curam animarum habentibus, <sup>h</sup> teneantur à die adeptæ possessionis, <sup>i</sup> ad minus intra duos menses <sup>k</sup>, & in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ & fidei publicam facere professionem, & in Romana Ecclesiæ obedientia se permanuros spondeant, ac iurent. <sup>l</sup> Prouisi autem <sup>m</sup> de canonicatibus, & dignitatibus <sup>n</sup> in Ecclesijs cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo idem <sup>o</sup> facere tenentur: alioquin prædicti omnes prouisi, vt supra, <sup>p</sup> fructus non faciant suos, <sup>q</sup> nec illis possessio suffragetur. <sup>r</sup> Neminem etiam deinceps ad dignitatē, canonicatū, aut portionem recipiant, <sup>s</sup> nisi qui eo Ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbendæ, aut portio requirit, aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat. <sup>t</sup> In omnibus verò Ecclesijs cathedralibus <sup>u</sup> omnes canonicatus, ac portiones habeant annexum Ordinem <sup>v</sup> Presbyterij, <sup>w</sup> Diaconatus, vel Subdiaconatus, <sup>x</sup> Episcopus autem cum consilio Capituli designet, ac distribuatur, prout viderit expedire, <sup>y</sup> quibus quisque Ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat, <sup>z</sup> & <sup>aa</sup> ita tamen, vt dimidia saltem pars

Barbof. Collect. in Concil. Trid.

Aa 2 Presby-

a Sess. 22.

cap. 2.

b Cap. cum

in cunctis de

elect. clem. 4.

epist. 2. ad La

cobum. Ana-

clctus ep. 1.

cap. diaconi,

93. dist. 8. c.

ad huc de

offic. Archid.

lib. 1. decret.

tit. 6. c. 7. ab

Innoc. III.

in 1. decret. tit.

23. c. ad hæc

nos & alijs.

c Toletan.

cap. 21. & 26.

etis sic pro-

uidebatur.

infr. in Bulla

S. D. N. Pij

IV. super for-

ma iuramen-

ti professionis

fidei.

d Cap. licet

can. & cum

ex eo. de

elect. in 6.

supra sess. 6.

de reformat.

c. 12.

Presbyteri sint; ceteri verò Diaconi, aut Subdiaconi: vbi verò consuetudo laudabilior habet, vt plures vel omnes sint Presbyteri, omninò obseruetur. *77* Horratur etiam sancta Synodus, vt in prouincijs vbi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars canonicatum in cathedralibus Ecclesijs, & Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel iure Canonico. *88* Præterea obtinentibus *88* in iisdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, *88* Canonicatus, præbendas, aut portiones, *89* non liceat vigore cuiuslibet statuti, *11* aut consuetudinis, *88* ultra tres menses, ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse, *88* saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt: *88* alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentie fecit suos, quòd si iterum eadem fuerit vsus negligentia, priuetur omnibus fructibus quo eodem anno lucratus fuerit: crescente verò contumacia, contra eos, iuxta sacrorum Canonum constitutiones, procedatur. *88* Distributiones verò, *88* qui statim horis interfuerint, *88* recipiant: *88* reliqui *88* quauis collusione, aut remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacij VIII. decretum quod incipit, Consuetudinem: quod sancta Synodus in vsum reuocat: non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus. *88* Omnes verò diuina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia: *88* Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, adstare, & inseruire, *88* atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuoteque laudare. *88* Vestitu insuper decenti tam in Ecclesia, quàm extra, assidue vtantur; *88* ab illicitisque venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, lusuibusque abstineant: atque ea morum integritate polleant, vt merito Ecclesie Senatus dici possit. Cætera, quæ ad debitum in diuinis officijs regimè spectant, deque congrua in his canendi, seu modulandi ratione, de certa lege in choro conueniendi, & permanendi: simulque de omnibus Ecclesie ministris, quæ necessaria erunt, & si qua huiusmodi: Synodus prouincialis, pro cuiusque prouinciæ utilitate & moribus, certam cuique formulam præscribet. Interea verò Episcopus non minus, quàm cum duobus Canonicis, quorum vnus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, poterit prouidere.

Supr. sess. 23. de reform. mat. c. 1.

f Sexti decr. lib. 3. de cler. no resid. c. 1. sexti decr. lib. 4. de consuet. cap. 1. g Sess. 22. c. 4. cap. licet. de e. extirpanda. 5. qui verò. de præbend. c. quia nonnulli. de cleric. non resid.

h Conc. Tur. 3. c. 8. Conc. Agath. c. 55. qui incipit Episcop. cap. Episcopum 34. dist. tot. tit. de vita & honest. cler. extirp. in 6. & in clem.

DE materia huius decreti latè egi in meo tra. de Canonicis, & Dignitatibus, ex quo nonnulla hic transferenda duxi suis locis aptè distribuenda. & addo nouissimi Steph. Veyms ad cons. 2. 4. ex antiquo iure de sumpt. & per Concilium Trid. innouatas constit. 3. pag. 23. cum seq. vbi innouatur e. cum in cunctis, §. inferiora, de elect. per hoc decretum.

1. a Nemo loitur deinceps, &c.] Ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, neminem promoueri posse, nisi qui saltem 25. atatis sue annum attigerit, ex hoc text. colligit Campan. in diuersis iuris canon. rub. 7. cap. 6. num. 22. Massobr. in praxi habendi concursum, regul. 10. dub. 11. num. 24. secundum Romanam impress. Squillante de priuileg. cleric. cap. 4. num. 72. Nouar. in singul. iuris canon. conclus. 14. Aldan. in compendio canon. resolut. lib. 1. tit. 10. nu. 15. vbi refert decimum in Coronen. sub die 4. Decembris 1627. etatem incipere à die natiuitatis, non autem à die Baptismi, & sufficere dictum 25. atatis annum inceptum. Ego ipse in collect. ad cap. cum in cunctis, §. inferiora, num. 30. de elect. & in tract. de Canon. cap. 13. num. 18. & refert Sel. ex d. Coronen. etatem 25. annorum ad sacerdotium necessariam requiri in dignitate Ecclesie cathedralis, cui fit distributio Missæ cantate per trinum infra hebdomadam, cum habeat onus annexum, ac proinde teneatur per se adimplere, additque ex vna nullius 18. Decemb. 1627. collationem de Ecclesia, vel dignitate, cui subest cura animarum vt valeat, requiri quòd promouendus attingat vigesimum quintum annum.

Comprehendere etiam illas dignitates, quæ sunt capita illarum Ecclesiarum collegiarum, & quæ etiam essent exemptæ à iurisdictione Ordinarij, & habent tantum iurisdictionem in Canonicos, & deferuientes in illis Ecclesijs, refert decimum Garc. de benefic. part. 3. cap. 2. num. 181.

2. Et hoc procedere, etiam si cura iurisdictionalis sit, tenent Nauarr. consil. 4. num. 2. sub tit. de arate, & qualitat. in vtraque edit. Sayr. in floribus decis. sub illo tit. decis. 4. quos refero d. tract. de Canon. cap. 13. num. 20.

3. Vnde ad Dignitatem principalem in Collegiata requiri etatem 25. annorum inceptorum, cum regulariter habeat curam animarum in foro interiori, vel exteriori, resoluit Nicol. Garc. de benefic. p. 7. c. 4. num. 65. quem refero d. tract. de Canon. c. 13. num. 21. vbi num. 22. post Galet. & Campan. intelligo dispositionem huius decreti procedere si principaliter cura subest.

4. §. Archidiaconi etiam, &c.] Archidiaconos, qui oculi di-

cuntur Episcopi, in omnibus Ecclesijs, vbi fieri potest, eligendos, qui sint Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, vel iure Canonico, ex hoc decreto colligunt Benius de priuileg. iurifconsultor. p. 2. priuileg. 28. nu. 2. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloss. 4. num. 68. Nicol. Garc. de benefic. 7. c. 7. num. 36. Campan. in diuersis iuris canon. rub. 7. cap. 6. num. 41. Galgancet de iure publico, lib. 3. tit. 21. nu. 1. Aloyf. Ricc. in praxi aurea resol. 238. a num. 2. & in decis. curia Archiepiscop. Neapolit. decis. 248. num. 4. & decis. 305. num. 11. p. 4. Mofet. in summa Theologia moralis, tract. 6. c. 7. num. 62. Homobon. de Bonis de examine Ecclesiastico, tract. 1. c. 9. q. 55. Nouar. in singul. Canon. concl. 41. Sebast. in relect. de ecclesijs, hierarchia, disp. 12. §. 1. num. 9. Squillante de priuileg. cleric. c. 4. num. 109. Ego ipse de officio, & potest. Episcop. p. 3. alleg. 60. num. 60. & in tract. de Canonicis, cap. 5. num. 5.

De ijs tantum Archidiaconis, qui vel curam habent animarum, vel iurisdictionem, iuxta tit. de officio Archiepiscop. non autem de ijs, qui verè animarum cura, & omni profusus iurisdictione carent, intelligunt, decimum que refert Anastaf. Germon. de indultis Cardinal. §. quibusuis, num. 4. Aloyf. Ricc. in praxi vtriusq. fori Ecclesiast. decis. 473. in 1. edit. alias resolut. 497. in 2. edit. Præsec. in praxi Episcop. part. 2. c. 5. n. 20. Massobr. in praxi habendi concursum, regul. 10. dub. 6. secundum Roman. impress. Nouar. d. concl. 41. num. 2. Nicol. Garc. d. c. 7. num. 41. vbi num. 40. refert pariter resolutionem huiusmodi Archidiaconos iurisdictionem contentiosam habentes debere esse Doctores, & promotos in publico gymnasio, alias gradus eis non suffragari ex Bula 63. H. V. quod tradunt Massobr. d. dub. 6. n. 6. & Nouar. vbi sup. n. 4. Squillante de priuileg. clericor. c. 4. n. 113. ita vt Doctoratus ex priuilegio ad huiusmodi dignitatem nequam promoueri possit, ita Nouar. quæst. forens. lib. 1. quæst. 143. & vbi supra num. 5. Squillante d. cap. 4. num. 114. vbi num. 115. post Menoch. de arbit. ca. 425. nu. 42. & Aloyf. Ricc. p. 4. decis. 248. tenet quòd si ex Ecclesie consuetudine, potestas & iurisdictione, quo competit Archidiacono, competet Archipresbytero, similem gradum Doctoratus deberet Archipresbyter assumere.

Sed iam hodie apud Hispanos cessare istam obligationem quòd sint Doctores, aut Licentiati, cum eorum iurisdictione penè extincta sit, obseruant Nauarr. in man. cap. 25. num. 135. Vascóncell. in harmonia rubric. iuris canon. sub tit. de officio Archidiacon. in princip. Nicol. Garc. dicto cap. 7. d. num. 37. Sebast. Cas. dist. §. 1. num. 10. quos refero dict. tract. de Canon. c. 5. num. 9. Angulan. de legib. lib. 2. controu. 4. nu. 10. dum ait Concilium in præfenti de Archidiaconis mentio-

intentionem faciens, non habere locum, neque procedere in Archidiaconis huius temporis, quippe non sunt oculi Episcoporum.

- 7. Scholasticam conferendam esse Doctori, vel Magistro, aut Licentiatum in Theologia, seu iure Canonico, alias prouisionem esse nullam, probat hoc idem Concil. *sup. sess. 23. de reform. cap. 18. in fine*, ubi vide.
- 8. Decanum nullo Tridentini Concilij decreto iuberi, ut necessarii sit Magister, siue Doctor, aut Licentiatum in Theologia, vel iure Canonico, asserunt Nicol. Gare. *d. part. 7. cap. 7. num. 43.* Aloyf. Ricc. *in praxi aurea, resol. 238. in fine*, & *in decis. curie Archiepiscopi. Neapolit. p. 4. decis. 248. num. 5.* Ego ipse *de Canon. cap. 7. num. 8.* & *de officio Episcopi d. alleg. 60. num. 61.*
- 9. Principalem Dignitatem in Collegiata Ecclesia exempta, cui ordinaria iurisdicatio cum omnibus iuribus quasi Episcopalibus competit, non debere necessarium conferri Licentiatum, vel Doctori ut principale dignitatem in Cathedrali, referunt decem Nicol. Gare. *d. part. 7. cap. 7. num. 33.* Fr. Sigif. nund. *a Bononia de elect. dub. 63. num. 1. vers. quod autem*, Ego ipse *de Canonici, cap. 11. num. 4.*

10. *y Ad ceteras autem Dignitates, &c.* Ad dignitates, vel personatus in Cathedralibus (Archidiaconatu tantum excepto, qui oculus Episcopi dicitur) quibus nulla inest animarum cura, aut ex consuetudine, statuto, vel privilegio, adfisci sine dubio posse minores 25. annis dummodo non minores 22. per hunc text. tradunt Massobr. *d. requis. 10. dub. 11. num. 24.* Nouar. *in singul. Canon. concl. 11.* Squillante *de privileg. cleric. cap. 4. num. 74.* quos refero *in tract. de Canon. cap. 13. num. 22.* & alios citauis *de officio, & potest. Episcopi, p. 3. alleg. 60. num. 65.*

11. *y Vel personatus* Habere quasdam prerogatiuas in Ecclesia post existentes in dignitate, puta locum honorabilem in choro, processionibus, & Capitulis, tenent Petr. Gregor. *part. 1. iuris canonici, lib. 1. tit. 27. cap. 2. nu. 6.* Flamin. Parif. *de resignat. benef. lib. 1. quest. 1. num. 90. & 91.* Fulu. Pactan. *de probat. lib. 2. cap. 27. num. 23.* Filluc. *in quest. moral. tom. 3. tract. 11. cap. 1. num. 24.* Massobr. *in praxi habendi concorsum. prelud. 16. secundum Romanam impress. Monet. de consensu. cap. 5. num. 85.* & alij quos refero *de Canon. cap. 4. num. 19.*

12. *y Et viginti duobus annis non minores, &c.* Huiusmodi viginti duos annos ad dignitates requisitos debere esse completos, resoluunt Nauarr. *consil. 4. de arate, & qualitat. in viraque editione.* Sayr. *in floribus decis. sub illo tit. decis. 4.* Mandol. *in tract. de arate nu. cap. 5. num. 10.* Less. *de iusticia, lib. 2. cap. 34. num. 108.* ubi dicit illam formulam, *ut non sit minor viginti duobus annis*, insinuare annos viginti duos debere esse completos, Stephan. Gratian. *discept. forens. cap. 591. num. 9.* Nicol. Gare. *d. part. 7. cap. 4. num. 70.* Armendar. *in addit. ad recop. legum Nauarra. lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis, num. 2.* Squillante *d. cap. 4. num. 75.* Massobr. *d. requis. 10. dub. 13.* Nouar. *d. concl. 15. num. 2.* Ego ipse *d. alleg. 60. num. 66.* & *de Canonici, cap. 13. num. 22.*

Contra Emm. in. Sa in aphorism. *verb. beneficium, num. 31.* Zerol. *in praxi Episcopi, part. 1. verb. beneficia, §. 1. vers. ad dignitates*, Henniq. *in sum. lib. 14. cap. 10. §. 10. in fine*, Azor. *instit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 5. quest. 3. in fine*, existimantes dictos viginti duos annos sufficere inceptos, & non requiri completos.

13. Quoad alias vero Dignitates in Collegiatis Ecclesijs existentes requisita etiam remanere in dispositione iuris communis, tenet decemque referunt Gonzal. *ad regul. 8. Cancel. gloss. 9. n. 92.* Piafec. *in praxi Episcopi, part. 2. cap. 5. num. 25. pag. 330.* Aloyf. Ricc. *in praxi varum fori eccl. decis. 735. in 1. edit. alias resolut. 512. num. 3. in fine. in 2. edit. & in praxi aurea resolut. 259. nu. 2.* Nouar. *d. concl. 15. num. 2.* Squillante *d. cap. 4. num. 76.* Ego ipse *de officio Episcopi part. 3. allegat. 60. num. 67.* & *de canon. cap. 13. num. 23.* ubi ex Fr. Eman. refero Christophorum Velam Archiepiscopum Burgensem consulisse dignitatem Scholasticam collegiatae Ecclesie de Aquillar. del Campo cuiusdam scholari, qui non habebat maiorem aetatem 17. annorum, & cum litigaretur, super hoc fuisse iudicatum collationem esse canonicam & iuridicam.

Barbos. *Collect. in Concil. Trid.*

Contra Nicol. Gare. *d. p. 7. cap. 4. num. 59.* & *62. cum seqq.* & Armendar. *d. l. 7. de Episcopis num. 2.* existimantes, decemque referentes predictos 22. annos, qui desiderantur ad dignitates in Cathedralibus requiri, etiam ad eas, quae sunt in Collegiatis.

De professione Fidei.

*y Prouisi etiam de beneficijs, &c.* De fidei professione faciendi, & qui ex precepto Concilij Trid. in presenti, & constit. Pij V. ad eam emittendam teneantur, & de penis eorum, qui illam facere negligunt, vide Nauarr. *consil. 1. 2. 3. & 4. de sum. na Trinit. in antiq. alias consil. 7. 9. 10. 11. & 12. de iureiur. and. in nouis.* Sayr. *in floribus decis. sub d. tit. de sum. na Trinit. decis. 1. 2. 3. & 4.* Flamin. Parif. *de resignat. benef. lib. 8. quest. 9. a num. 121. & lib. 10. quest. 9.* Quarant. *in sum. Bullarij. verb. fidei professio.* Petr. de Ledema *in sum. p. 2. tract. 1. cap. 4. conclus. 10.* Zerol. *in praxi Episcopi, p. 2. verb. fidei professio.* Piafec. *in simili praxi p. 2. cap. 5. num. 26.* Archiep. Bononien. *part. 2. in princ.* Vgolin. *de officio Episcopi, cap. 50. §. 16.* Aloyf. Ricc. *in collect. decis. part. 3. collect. 579.* & *in decis. curie Archiepiscopi. Neapolit. part. 1. decis. 220. num. 2.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 2.* Nicol. Gare. *de benefice, part. 3. cap. 3. late Sanchez in precepta Decalogi, tom. 1. lib. 2. cap. 5.* Filluc. *tom. 3. tract. 41. cap. 6. num. 5. cum seqq.* Nouar. *in singularib. canonic. conclus. 114. cum seqq.* Anton. Ricciul. *de iure personarum extra gremium Ecclesie existent. lib. 1. cap. 13. cum tribus sequentibus.* Viuan. *in praxi iurispatron. lib. 1. §. cap. 3. ex num. 23. in ult. impress.* Squillante *de obligat. cleric. p. 1. ex num. 86.* Hieron. Roderic. *in compendio quest. regular. resol. 67.* Marcel. Vulpo *in praxi iudic. fori eccl. cap. 48. num. 52.* cum seqq. Stephan. V. Veyms *ad constitutiones 24. ex antiquo iure desumptas, & per Concil. Trid. innouatas, consil. 3. num. 22. pag. 3.* Trullench *in expos. Decalogi lib. 1. cap. 1. dub. 8. metipsum de officio, & potestate Episcopi p. 3. allegat. 61. & in tractat. de Canonici cap. 17. & in tract. de Parochis cap. 4.*

Formam autem dicte professionis faciendi ordinavit Pius I V. in eius consil. incip. *Iniunctum, sub dat. 1. lib. Nouembris 1564.* quam referunt Archiep. Bononien. *d. part. 2. in princ.* Quarant. *in sum. Bullarij. verb. fidei professio, & Piafec. in praxi Episcopi, part. 2. cap. 5. num. 26. pag. 540.* Lauor. *var. lucub. tom. 1. tit. 4. cap. 16. num. 41.*

Promouendos ad Episcopatus, professionem fidei emittere teneri, statuit Gregorius XIV. in constituto incip. *Onus Apostolica, sub dat. 15. Martij 1591.* prore referunt Vgolin. *de officio Episcopi, capitul. 1. §. 3. numero 1.* Nouar. *in singular. iuris Canonici, conclus. 114. numero 4.* Forma autem huius iuramenti traditur in Pontificali Romano Clementis VIII. iussu edito pag. 79. & a Franc. Leone in thesauro fori eccl. *part. 2. capitul. 10. numero 15.*

Prelatos Regulares intra duos menses ab adepta professione sue prefecture ad emittendam fidei professionem teneri statuit Pius IV. *dic. constit. incip. Iniunctum, & per eam ita docent Nauarr. consil. 2. de summa Trinit. in antiq. alias consil. 10. de iureiur. in nouis.* Sayr. *in floribus decis. sub illo tit. de summa Trinit. decis. 2.* Fr. Eman. *g. regul. tom. 2. quest. 72. art. 1.* Petr. de Ledema *in sum. tom. 2. tract. 1. cap. 4. in fine.* Vgolin. *d. §. 16. num. 17.* Aloyf. Ricc. *in decis. Curie Archiepiscopi. Neapol. decis. 83. num. 1. part. 4.* Nouar. *d. conclus. 114. nu. 3.* & *6.* Trullench *in Decalog. lib. 1. cap. 1. dub. 8. num. 3.* Anton. Ricciul. *de iure personarum extra gremium Ecclesie existent. lib. 1. cap. 13. n. 5.* Hieron. Roderic. *in compendio questionum Regular. resolut. 67. nu. 2.* ubi subdit Religiosum adeptum prelaturam ex ignorantia, & inadvertentia omittentem fidei professionem non peccare, & immunem esse a penis prelatuque constit. Ego ipse *d. allegat. 61. num. 7.*

Contra Hieron. a Sorbo Capucin. *in compendio privileg. Mendicant. verb. professio fidei, quem sequi videtur Sanchez in precepta Decalogi tom. 1. lib. 2. c. 5. num. 5.* existimantem hanc professionem fidei iam in usu non esse.

Et contra Sigism. a Bononia *de elect. dub. 50. num. 7.* dicentem posse excusari dictos Prelatos Regulares professionem non facientes in Religiosis, in quibus solum non est fieri.